



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Initium Sapientiae & Finis: Timor Domini, & Amor Dei: Seu
de fuga peccati, deque dilectione summi boni**

Comitin, César Jean-Baptiste

Coloniae, 1709

§.9. Summa primæ Partis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50773](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50773)

illegitimum totum, pars est mea. En ego quod habeo.
 Tu verò quid, & quàm diù? aurum tuum,
 opes, amici, deliciae, quiderunt in morte?
 vermis, ignis, supplicium tibi. Hæc hæredi-
 tas è mundo nostra. Itaque non jam ut Æthio-
 opum, sed ut canis Æsopi, sectamur umbras.
 Et quousque? nec umbras tantùm, sed & ignes,
 ignesque æternos. Odignam tanto cane,
 tantisque concursationibus arvinam!

§. 9. *Summa prima Partis.*

Verùm age, subductis tantisper mecum
 rationibus, ita computum ineamus. Vult
 Seneca cum amico deliberanda omnia;
 sed de amico ante omnia, porrò deli-
 berare, secundùm D. Thomam, est vim pon-
 dusque rationum *in diversa libare*. Sta igitur
 ad trutinam. Ecce duo proponuntur a-
 mici nobis: hinc Deus, indè mundus, eligen-
 dum est. nam [ut ait S. Augustinus] *dete-
 standi pigri eritis, si nihil ametis: amate sed
 quid ametis, videte*. Ac mundus quidem, ut
 nôsti, totus in maligno positus est; miser ip-
 se, & miserorum pater: Deus autem talis est,
 qualem audisti modò, solus potens, solus
 misericors, solus immensus, solus æternus.
 I. Vidisti pulchritudinem, quæ in stuporem
 raperet universos, & ipsum etiam amore sui
 bea-

bearet Deum. 2. Vidisti majestatem, Angelis
terribilem, supplicem tibi, tuam simul pa-
tronam & clientem. 3. Vidisti potentiam, cu-
jus unius præsidio tutus es & felix. 4. Tùm
sapientiam, oculum Dei, mundi, tuum; to-
tam in usus tuos impensam. 5. Exinde fidem
in promissis, quæ & vota præveniat, & infi-
nito superet intervallo. 6. Postremò miseris-
cordiam exhorrescendam, & penè monstro-
sam. Vidisti prodigum filium, & prodigum
multò magis patrem. vincere & vinci suo in
genere utrumque. 7. Addidi geminam ho-
rum omnium sinè mensurâ mensuram tem-
pore & loco: esse amicum assiduum loco; 8.
æternum tempore. denique infinito mayo-
rem, quàm optare possis; omnia in eo sum-
ma, magnitudine, diuturnitate, perfectione.
Scribe amori leges quas voles, & quas in
hoc stadio potes, & si quas potes. ultra om-
nium vota Deus est. *Deus, inquit Augusti-
nus, quem amat omne quod amare potest, sive
sciens sive nesciens, hoc est, ut explicat D.
Thomas, appetitu saltèm innato; quia nihil
habet rationem boni appetibilis, nisi secundùm
quod participat Dei similitudinem.*

Cum ergo Deus omnis boni, mundus ex
adverso sit omnis mali fons & caput, éstne

jam in tantâ rerum dissimilitudine delibe-
 randi locus ? nōne fateris, unicuique tan-
 tum amoris impendi oportere , quantum
 habet amabilitatis ? hæc enim sese mutuò
 complectuntur, ut corpus & umbra : re-
 spondent activa passivis. Quî fit igitur, ut
 cùm jam non primus, sed solus ab omnibus
 coli debeat; solus in comparatione omnium
 sit vilis? quid illi deest, qui non aliunde dici-
 tur Deus, nisi quia nihil illi deest? Sed quid,
 ô fili, tibi deest , qui unde ames, redundas?
 nam cetera fortasse nostra non sunt , hoc
 unum est in potestate; cùm amare nihil aliud
 sit, quàm velle. Quare ergò non vis semel,
 quod semper, omnibusque viribus vis? qua-
 re, inquam, non amas & summè amantem,
 & summè amabilem , tu qui amas omnia,
 etiam somnia? O dilectissime, tu quidem in
 hoc tempore judicium feres , qualecumque
 voles: nemo te prohibet, optio liberrima da-
 tur, ut Judæis, ita & tibi. potes Barabbam,
 potes optare JESUM. sed, oro te, per salutem
 tuam, in morte quid factum, quid infectum
 malle? illo tum judice, illo tum clamante:
*Quid feci tibi, aut quid molestus fui tibi? re-
 sponde mihi. [Michæa 6.]*

Heu me! queror non amari, cujus nomen
 ubi-

ubique, & identidem, & ab omnibus, & à Christianis, non impunè modò laceratur, sed etiam cum laude? O furorem! huccine rerum venimus? tu? Deum? toties? tam diù? quid fecit tibi? quid respondebis illi, cùm objiciet olim? quò fugies à furore non dico leonis, sed agni? sed amici, & talis amici? Næ Chrysoſtomum non miror ampliùs, qui hanc in judicio putet infectationem Christi fore omnibus inferis duriozem. Ergò scito, & vide, quia malum & amarum est reliquiſſe te Dominum Deum tuum. *A ſæculo confreſgiſti jugum meum, rupiſti vincula mea, & dixiſti: Non ſerviam. Nunquid ſolitudo factus ſum Iſraëli, aut terra ſerotina? ſaltèm amodo voca me, revertere a verſatrix Iſraël, ait Dominus, & non avertam faciem meam à vobis: quia ſanctus ego ſum, & non irascar in perpetuum. (Jerem. 2. & 3. ſparſim.)*

PARS SECUNDA.

COGITA DOMINUM.

AT hæc ideo fortasſe non pro rei gravitate permovent, quòd ab oculis remotiora ſentiantur minùs. Subjiciam igitur ordine propoſito deinceps ea, quæ nemo poſſit ignorare; nemo non ſentire, niſi planè ſit ſtipes, truncòque ſtupidior ficulneo.